

1764.28.
3.16
186

MATRIMONIVM SINE PROPOSITO LIBEROS PROCREANDI LEGITIMVM

P R A E S I D E

CAROLO FERD. HOMMELIO

PHILOSOPHIAE ET I. V. DOCTORE ECCLESIAE CATHE-
DRALIS MARTISBURGICAE CAPITVLARI SEREN. ELECT.
SAXONIAE AVLAE IN REBUS IVSTITIAE CONSILARIUS
CVRIAEC IN PROVINCIA SVPREMAE ASSESSORE INTER
DOCTORES PRIMARIO DECRETALIVM P. P. O. COLLE-
GII IVRISCONS. ORDINARIO ET DECANO PER-
PETVO ACADEMIAE LIPSIENSIS CON-
SILIARIO ET DECEMVIRO.

DIE XXVIII. IUNII MDCCLXIV.

PRO OBTINENDA IN UTROQUE IVRE DOCTORIS

D I G N I T A T E

T V E B I T V R

GODOFREDVS SIGISMUNDVS SEYFRIDVS
IVRIS BACCALAVREVS ET ADVOCATVS DRESDENSIS

E D I T I O S E C V N D A L O C V P L E T I O R .

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

1766.

DELIN EAT I O OPERIS.

Vulgari opinioni, secundum quam procreatio sibolis unicus matrimonii finis quondam putabatur, mirabile est, eruditos homines adhuc posse adhaerere. §. I.

Nam et mutuum adiutorium iustum esse maritandorum propositum, memorabile praeiudicio THEOLOGORVM et ICTORVM LIPSIENSIVM nuperrimo confirmatur. §. II.

Sed prae his duobus finibus libidinis extinctio sancti et casti matrimonii legitima ac primaria causa. §. III.

Ordo dicendorum et propositum huius disputationis. Nempe primo vulnare illud; sibolis procreationem unicum finem esse, quem homo intendere debeat, refutabimus; posthaec extictionem libidinis aequo legitimam videri, variis modis demonstrabimus, tertio denique dissentientium argumentis, qui delectationem carnis causam, quare matrimonium ineatur, nefariam putant, respondebimus. §. IV.

Sibolis procreationem primarium matrimonii finem esse, ex SACRA SCRIPTURA non probatur. §. V.

Si marito grauidae uxoris thalamum descendere licet, non est omnis legitimi concubitus finis liberorum genitura. §. VI.

Ob sterilitatem non dissoluitur, matrimonium, sed propter impotentiam sive imbecillitatem membrorum genitalium dissoluitur, ergo plus valet corporea delectatio, quam sibolis genitura. §. VII.



Si ad sobolem omnia referenda, nullae erunt vetulac cum deponano nuptiae. §. VIII.

Secundum disputationis caput incipit, et thema probandum paulo clarius describitur. §. IX.

Amorem primariam nuptiarum causam esse, per inductionem demonstratur. §. X.

Inclinationem unius sexus ad alterum atque coeundi instinctum a Deo, adeoque honestum esse. §. XI.

An fas sit homini de finibus diuinis et arcanis naturae consiliis sollicitari? §. XII.

Extinctionem libidinis finem matrimonii iustum esse, probatur ex sacris litteris et theologorum libris. Adiectum etiam de ea re FACULTATIS THEOLOGICAE responsum upperime militi datum, deinde obiter ostenditur: quod ONANIAS fecit, magnum quidem erimen sed tolerabilius esse et leuius, quam si quis puerum vel suum castret. §. XIII.

VATTELII philosophi assensus. §. XIV.

Tertium caput disputationis incipit, argumenta eorum redarguens, qui libidines execrantur. §. XV.

Non est, ut quibusdam videtur, philosophia nostra bestialis. §. XVI.

TOBIAE dictum, nobis non satis favorable, remouetur. §. XVII.

Ex can. I. Caus. 32. qu. 2. nihil excusat nos contrarium. §. XVIII.

Qui secundarium finem arripiat, neglecto principali, scelus non commitit.

§. I.



§. I.

Cum dudum in Saxonia maximaæ auctoritatis et Mirum de re
acuti iureconsultus ingenii, AVGUSTINVS clarissima ad.
LEYSER, in doctis ad Pandectas Meditatio-
nibus, *) plane et aparte haec scripsit: Ma-
trimonium a Deo institutum est propter tres
fines: Primus et praecipuus fuit, mutuum ad-
iutorium; **) secundus procreatio sobolis, tertius extindio li-
bidinis; ego legitimum matrimonium esse credo, et si isti tres
fines simul non obtineantur, hisque verbis liberorum procreatio-
nem non primo, sed secundo demum loco posuerit, deinde
vero ex illis porro: hominem, qui ob solam Venerem matri-
monium ineat, naturae et legibus conuenienter agere, satis in-
dicauerit, nec quisquam propterea impietatis eum aut haere-
seos Epicureae accusauerit, abunde satis mirari non possumus,
in hoc, quo philosophi maxime regnant, seculo, nihilominus
falsam, ut nobis videtur, opinionem: matrimonium quod li-
berorum causa non ineatur profanum, turpe, Deo ingratum
et sobolis procreationem vnicum atque supremum omnis legi-
timi connubii finem esse, apud iureconsultos quosdam et ple-
rosque

A 3

*) Leyser Spec. 297. med. 6.

**) argum. Genes. 2. vers. 18.



rosque fere theologos tam altas radices egisse, ut pro veteri dictato, quod in can. 41. Caus. 27. qu. 1. can. 1. et 3. Caus. 32. qn. 2. L. 9. C. de nupt. L. 2. C. de indict. viduitat. L. 1. ff. solut. matr. L. 220. §. 3. ff. de verbor. signif. (*ibique late Dionys. Gothofr.*) narrauere patres, quasi pro aris et focis pugnant, citiusque clauam Hercules aut fulmen Iupiter, quam illam opinionem nostri, sibi extorqueri patientur. Quasi vero nefanda res sit, honestam et legibus probatam cupiditatem sequi! Sane non erubuit celeberrimus Franciae iureconsultus et poeta STEPHANVS PASQVASIVS in epigrammatae, se primas propter amplexus, ultimas vero propter mutuum adiutorium, nuptias contraxisse, nulla facta liberorum mentione, his verbis profteri:

*Vxores ego tres vario sum tempore natus;
Cum iuuenis, cum vir, cum faetus inde senex.
Propter opus prima validis mibi iuncta sub annis,
Altera propter opes, tertia propter opem.*

Poteramus vero, si auctoritatibus pugnandum esset, plura adhuc eruditorum hominum, qui ante nos (neque enim rem novam aggredimur) liberiorem legum censuram agentes, hunc primarium, ut dicitur, matrimonii finem ex prima classe in Coeritum tabulas iamdudum retulerunt, testimonia adducere; sed, cum nobis properandum sit, non aegre lectores ferent, si hac ostentatione litteraria in praesenti supersedeamus.

§. II.

*Mutuum ad-
iutoriorum ae-
que verus est
et legitimus
matrimonii
finis.*

Matrimonium sine proposito sobolem procreandi legitimum esse, et Deo aequa gratum, quam quod liberorum causa suscipitur, hoc libello demonstraturis, inter fines matrimonii varios, etiam mutuum adiutorium se nobis offert, de quo hodie fere nemo dubitat, quin causa nuptiarum vera et iusta videatur, imo diuinis etiam oraculis probata; siquidem non solum HIERONYMVS DELPHINVVS, in sua *de Eunuchi coniugio*



ingio collectione, responsa Consistorii Lipsiensis et Theologorum Regiomontanorum, Gryphisualdensium aliorumque spandonibus fauorabilia concessit, verum etiam I O H. S A M. S T R YX I V S in disputatione *de fine matrimonii*, et PAGENS TECHER in disputatione *de scopo matrimonii*, data opera et ex professo, mutuam opitulationem supra prolis generationem extulerunt, et hanc primarium matrimonii classicumque finem esse, demonstrarunt. Vidimus etiam, qui, nimis argute forsitan, hoc modo id docerent: Nempe dixisse deum initio statim: non conuenire homini, ut solus sit, ideoque adiutricem ei dandam esse vxorem: quibus verbis mutuum adiutorium innuat, deinde demum dixisse: Crescite et multiplicamini, quibus non primarium, sed minus principalem et secundarium sobolis procreationem matrimonii finem esse, significetur. *) Caeteras pro mutuo adiutorio rationes cumulare, cum haec in scholis fere sit recepta et omnibus nota opinio, et si nullo modo placet, tamen, cum saepe accidere videamus, ut, quod in cathedra defenditur, usum in foro non obtineat, adiecimus huic disputationi nostrae, *in fine sub Num. I.* nuperimum Responsum Fa-

Appendix
Num. I.

culatis vtriusque THEOLOGICAE ET IURIDICAE in Academia Lipsiensi, ex quo cognosces, etiam ex foro illam, de sobolis procreatione unico matrimonii fine explosam fuisse sentiam et sectam nostrorum temporum a patrum dictatis paucisper recessisse. Lectu dignissima, quam duo collegia iunctim pronuntiarunt, sententia, non solum quod argumenta continent pro mutuo adiutorio plurima; verum etiam ob singularem et memorabilem facti speciem. Plane inhabilis ad liberos procreandos ex infima plebe pauperculus, nomine Rödiger, a Consistorio propter impotentiam decreto diuortio, uxorem dimiserat. Sic diducto matrimonio caelibem vitam per decem annos agit, usque dum viduitatis pertaesus de secundis votis cōgitaret,

*) Lud. Dunte in Casib. Conscient. p. 803.



gitaret, et cum virgine XXXVII. annorum nomine Beckeria, per solennem sacerdotis benedictionem iungi postularet. Confessoribus actis ad nos transmissis, dedimus vxorem homini, quem prior coniux propter impotentiam abegerat. Res admidum mira. Nullum cum declarasset iudex perlata sententia anterius matrimonium, nos coniugium misero nouum permisimus, maritumque fecimus, quem res iudicata declarabat, maritum esse non posse.

§. III

Nos, etiam si hunc opis alternae in matrimonii conciliandis finem non plane improbemus, fateri tamen cogimur, multa subtiliter contra disputata, in primis autem huius sententiae patronis saepe obiectum fuisse, si mutuum adiutorium summa sit et finis matrimonii, ad quem omnia referantur, consequens esse, ut foemina foeminae nubere, imo inter duos mares contrahi matrimonium possit, si vicissim sibi mutua auxilia pollicentur. Vnde, ea re in medio relicta, iam, quod maxime libellus noster intendit, hoc in contemplationem adducamus: An nuptiae, sola Venere pronuba et Cupidine paranympno celebratae, iure non solum humano, verum etiam diuino, licitae, praesertim autem, secundum rectae et intemeratae rationis dictata, sanctae et castae appellari possint? Occasionem haec scribendi nobis dederunt nobilissimi cuiusdam militis litterae, qui, cum mense anni huius superiori ex Theologis Hallensibus: *An homini, qui nullo ac ne minimo quidem liberorum habendorum desiderio teneatur, sed uxorem sibi ob sola oscula et amplexus querat, matrimonium inire licet?* quæsiuisset, responsum tulit; **Licere.** Ne quid comminisci videamur, militis doctissimi litteras, quæ lubricam illam questionem et admidum difficilem in se continent, atque ipsum collegii responsum in fine disputationis *Numeri II.* typis exscribi curauimus, quo Theologicae Facultatis quasi clypeo muniti, nullo modo veremur, ne in haereticae prauitatis notam incurramus, si in contrahendo

Appendix
Num. II.

9

trahendo matrimonio eundem esse homini, quam caeteris ani-
mantibus, finem, variis modis doceamus.

§. IV.

Finem autem, ne qualis sit ignores, causam dicimus, *Ordo dicendo-*
cuius gratia aliquid suscipitur; extremus autem ille est, quo refe-
runtur et cuius causa sunt omnia. Hoc praemissio, ut ordinem
dicendorum et libelli diuisionem breuiter indicemus, primo
vulgare illud: sobolis procreationem vnicum esse legibus diuini-
nis probatum ac praeceptum finem, refutabimus; posthaec re-
medium ystionis, vt theologicę loquamur, aequę legitimam es-
se matrimonii causam, probabimus; tertio denique dissentienti-
tibus, qui delectationem carnis causam, quare matrimonium
ineatur, nefariam putant, respondebimus.

§. V.

Primum in sacris litteris, vt homines sobolis causa matri- *Sobolis pro-*
monia querere debeant, nullibi praeceptum, cum, quae a *creationem*
Theologis in eam rem loca afferuntur, id non dissertis verbis *primarium*
iubeant, sed haec doctrina, per ambages demum et longos fo- *matrimonii fi-*
rites, ex quibusdam dictis eliciatur, quae argumenta ex lon- *nem esse, ex sa-*
glossis litteris non
ginquo petita periculosa nec tam firma, quam directa legum
pracepta esse, vnuquisque facile concedet. Nam quod illa
Geneseos verba, in quibus praesidium totius doctrinae suae
*collocarunt, atinet, *Crescere et multiplicamini*, non defue-
runt, qui, an legem contineant aut quicquam praecipient? du-
bitarent, camque potius gratulationem et benedictionem, qua
Deus nouis coniugibus fausta queuis precatus sit, putarent, vt
et nunc sacerdos in nuptiarum sacris ea pronuntiare et nuptis
aclamare solet. Nobis hebraica non doctis, si, quas ex trans-
lationibus seu versionibus Bibliorum hausimus, conjecturas effa-
ri licet, non legem haec verba, sed carmen putamus et quasi
effectricem quandam incantationem, qua Deus generandi vim
corporibus primorum parentum inseuit atque efflatu suo quasi in-
didit. *Foetificate, ait, et multiplicamini.* Creatoria hacc verba sunt,*

B

non



non paeceptiuia. Quemadmodum enim antea idem Deus dixerat: *Fiat lux*, eoque dicto lux apparuerat, sic mihi videtur et his verbis: *Crescite et multiplicamini*, vim generandi et pariendi conditis a se hominibus indidisse et foecundos eos effecisse, vnde **CASTELLIO** non male sic transtulisse videtur: *Deinde foecunditatem dedit, sic eos alloquens: Foetificate, multiplicamini et replete terram.* Est et alia ratio, quare haec verba vix legis vim habere possint. Nam si ea paeceptum continerent omnibus hominibus datum: *Foetificate*, consequens faret, ut quam primum quisque pubes factus sit, si legi diuinae obedire velit, statim sibi sociam eligere et sobolis officinam instruere deberet, quod nescio an illius vñquam theologus aut philosophus imperauerit. Largiamur tamen et hoc, illaque Geneseos verba legem in se continere concedamus, nonne vel hac ratione res ipsa loquitur, eam nouis prima aetate hominibus, non nobis, datam esse, qui in aetate viuimus, qua orbis terrarum abundat atque ita repletus est incolis, ut propemodum superfluat. Quomodo quoefo potuisset **P A V L V S** Christianis caelibatum suadere et dicere: *) *Vellem omnes homines esse caelibes, ut ego sum. Sed sua quisque dote praeditus est a Deo, aliis alia. Caelibibus autem et viduis dico: bonum eis esse, si sic maneant, ut ego, quomodo, inquam, P A V L V S potuisset Christianis caelibatum suadere, si Deus omnes homines iussisset fecificare et terram liberis replere? Alia ergo in condendo, alia in orbe iam condito, legum et paeceptorum ratio.*

§. VI.

*Si marito gra-
uidae vxoris
thorum con-
scendere licet,
sobolis pro-
creatio non est
primarius sua vxore aut sterili rem haberet, fornicaturus esset. Estne
vero*

*) 1. Corinth. 7. verf. 7. seq.



II

vero quisquam hodie circumscriptor adeo seuerus, qui concubitu[m] cum vxore, quam grauidam maritus schret, non permittendum putet. Etsi enim ex eo liberi nulli futuri sint, adeoque primarius ille, vt vocatur finis, hoc concubitu obtineri nequeat, tamen contrariae sententiae patroni, congressum cum grauidis non plane interdixere, vt sic ipsimet fateri cogantur, non omnia in matrimonio ad spem et procreationem sobolis esse referenda. Nam aut concedere nobis debent, praeter hunc finem, etiam delectationes in matrimonio quaeri, aut relinquenda est marito probo et legibus diuinis obtemperanti vxori, tam sterilis, quam grauida. Quid vero eueniat, si illud statuamus? Docuerunt quidem talia inepti quondam, qui parum considerantes, suam cuique generi propriam naturam esse, (et iam si de caetero animalium vitas nos intueri nolint, sed, si quis talia proponat, toto animo abhorreant) in hac vna re nos bestiis similes esse p[ro]aecep[er]unt et propterea, quod non nullae ex pecudibus et auibus, postquam conceperunt, congressum deprecantur, *can. 15. caus. 32. qu. 7. in fine*, idem in hominibus fieri debere, stulte existimarentur. Longe profecto multoque iis **POPVLIA** sapientior, quae miranti quid esset, quapropter mulieres marem semper desiderarent, aliae bestiae autem non, nisi cum praegnantes fieri vellent? *Bestiae enim, respondit.*

§. VII.

Romani non diuino oraculo, sed ciuili ratione, vt res publica liberis ciuib[us] repleretur, moniti, cum ad sobolis procreationem omnia referrent, huic doctrinae in lege Papia Popaea denuo confirmatae multo, quam nostri, tenaciores, ob sterilitatem diuertia quondam sine villa dubitatione decreuerunt. *) Quid quod? iurare cogebantur mariti liberorum g[en]endorum gratia se matrimonium colere, ne quis data opera

Ob sterilitatem non disfuitur matri-monium, at propter impos-tentiam disfuitur. Ergo-

B 2

se

*) L. 60. §. 1. ff. de donat. inter vir. et vxor. ibique Dionys. Gothofr.



se liberis orbaret. Testis huius rei **GELLIVS** *) Spurius Caruilius, inquit, cui *Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vito, non gignerentur, anno urbis conditae DXXIII, M. Atilio P. Valerio Coss.* Atque is Caruilius traditur vxorem, quam dimisit, egregie dilexisse carissimamque morum eius gratia habuisse; sed iuristurandi religiouem animo et amori praetulisse, quod iurare a Censoribus coactus erat, vxorem se liberam quaerendum gratia habiturum. Hanc Quiritium sibi constantem et consentientem in omnibus doctrinam ut laudo et admiror, ita e contrario nostris non parum succenso, qui regulas suas, quoties lubitum est, depravant et propter impotentiam quidem, non autem propter sterilitatem, diuertia decernunt. *Can. 27. Caus. 32. qu. 7.* Nam, si modo debitum coniugale praestare sibi possint coniuges, et vstitutioni alterius mederi, ersi de caetero manifesta et insanabili sterilitate proles non subsequatur nec subsequi possit, etiam certissime sciant, se sobolem non edituros, si oraculum ipsis, si vates hoc praedicat, si medici omnes consentiant, tamen separari non possunt. Dirimendum autem erat tale conubium, si illa vulgaris disciplina doctorum vera et nuptiarum vnicus liberorum genitura finis esset, propterea, quod quotiescumque alteruter a principio in genitali sterilitate versetur, atque illa infecunditas certa, explorata et immedicabilis videatur, coniuges in Dei ministerio non esse, nec ei ad finem suum obtinendum, ut ita dixerim, cooperari possunt. Cum nuper Altenburgensis quidam, se quidem rem cum vxore saepius habuisse, nullos vero ob prolapsum vteri ex tali concubitu liberos procreari posse, diceret atque ob eam rationem diuortium peteret, F. I. L. absolutum vxorem, his additis rationibus: *Obwohl Kläger, dass ihm die eingestandene öfftere Beywohnung mit Beklagter zu keinem Nachtheile gereichen möge, anführt; müssen, wenn*

*) Gell. Noft. Att. lib. 4. cap. 3.



wenn auch allensals der Beyschlaf zu volbringen wäre, er doch nichts destoweniger durch bewährter Aeritie unumstößliche Zeugnisse, denen man als Kunsterfahrnen schlechterdings trauen müsse, erweisen wolle, daß wegen ziemlichen Vorfals der Mutter, niemals dergleichen Beywohnung fruchtbar seyn könne. Dennoch aber und dieweil aus demjenigen was Kläger selbst anführt, hinlänglich daß Beklagte zur ehelichen Beywohnung nicht ungeschickt, erhellet, die Wirkung des Beyschlafes aber Gott und der Natur zu überlassen, mithin Klägers Suchen für unstatthaft zu achten etc. Videant igitur aduersarii, quam nullo modo illorum regulae in ipsis rerum argumentis obtineat, quam confusa sint, quam male inter se cohaereant omnia. Nostram vero doctrinam usus fori exactissime probat, quando iudices coniugem, in quo nullum unctionis remedium, illoco abigunt et alteri rem suam alibi habendam facile permittunt, eo ipso satis innuentes, plura in matrimonio ad corpoream delectationem, quam ad sobolis generationum, referri. Attamen, ut proprie loquamur, coniugia ob impotentiam alterutrius coniugis non tam dissoluimus, quam nulla esse, pronuntiamus. Nempe non consensu matrimonium aut benedictione sacerdotali, sed thalami consensione, hoc est, vera commixtione corporum, perficitur. Ergo si haec consecuta non sit, nec propter genitalem infirmitatem consequi possit, nondum coniuges sed desponsati videntur. Sic ea res repudio, quam diuortio similior.

§. VIII.

Eadem est in nuptiis Acherunticorum ratio, quibus pro- *Si ad sobolem*
lis suscipienda propter aetatem nulla fiducia, *quamobrem lex omnia referen-*
da, nulæ
*Iulia et Papia senum matrimonia merito coercuit. *) Nempe, erunt vetulæ*
cum medici obseruassent, si anni amborum coniugum conumbe cum deponant
rati et simul ducti, centum transiissent, signum hoc certissimum
*esse, nullam generationem futuram, **) non patiebantur Roma-*
nuptiae.

B 3

ni

*) Vlpiani Fragm. tit. 16. §. 3. et 4.

**) Augustinus lib. 3. contra Iul. et libro primo Quaest. ad Genes.



ni quinquagenariam sexagenario nubere, imo etiam recentiori aetate sapienter in sua republica, ob eandem causam, Genuenes cauerunt: *Ne vir LX. annos egressus foeminam ducat aliam quam aetate dimidio se minorem.* Nam ad fabulas fere redeunt, quae de prodigioso quorundam senum vigore circumferuntur, nec ipse I V S T I N I A N V S dubitat, partum a parentibus ultimae iam senectutis editum, mirabilem vocare. *L. 12. C. de legitim. heredib.* Non audeo quidem C O N S T A N T I A E, Imperatori H E N R I C O V . nuptiae, de qua in Iurisprudentia numismatibus illustrata*) dictum est, aut etiam M A S I N I S S A E Numidia regis exempla, itemque C A T O N I S Censorii, et V L A D I S L A I Polonorum regis, quos historia tradit felices parentes extitisse liberorum eo tempore, quo iam vnum pedem in sepulchro habebant, non omnino diffiteri, licet paulisper subdubitem, attamen, etiamsi vera esse largiar, anne quaeſo, haec admodum rara et prodigiosa praefumere debemus? Nullo sane modo. Nam praefumtiones ab iis, quae plerumque eueneſire solent, non de exemplis admodum rarīs, depromuntur. Possibile forsitan, si ob dignum vindice nodum Deus subueniat, vetulam parere et obſtericum manibus se S A R A M submittere, nequē tamen ea quae fieri possunt, sed quae fieri solent, nempe probabilia nobis in vita et legibus ferendis proponimus. Anne operae pretium, propter rariſſima quaedam exempla quae contra naturam euenerunt, legem ſcribere: vt tremulis totisque in baculum pronis nuptias, in sua iam occidua aetate, inire liceat? Hoc nulla ratione crediderim, cum parum a ridiculo abſit de his, quae in ſeculo integra vix femel accidunt, iura conſtituere. *L. 3. ff. de Leg. L. 64. ff. de Reg. iur.* Nam debito coniugali ſoluendo non plane impares quidem plerosque ſenes, imo et falaces interdum eſſe, ex poetarum carminibus et medicorum libris didicimus, non autem foecundos. Nunc autem, poſtquam I V S T I N I A N V S Imperator in *L. 27. C. de nupt.* le-

gem

*) Praefidis Iurisprud. Numisini. Monumentum XLIV.



gem Iuliam et Papiam sustulit, silicerniorum connubia, summa cum carminis sacerdotalis *crescite et multiplicamini* profanatio-
ne et irrisione contrahi videmus, *) quod fieri nec posset nec
deberet, si omnes, praeter spem et desiderium liberos habendi
contractae nuptiae turpes, atque sobolis procreatio **extremus**
et vnicus matrimonii finis foret.

§. IX.

Non opus est plura in medium proferre, quoniam velex his, quae disputauimus, procreationem sobolis non esse vnicum aut supremum matrimonii finem, satis appetat. Accedamus ergo ad secundum nostrae disputationis caput, in quo hominem, qui nullo posteritatis quaerendae desiderio, tantum ob mutuos amplexus et corporeas delectationes matrimonium ineat, nullo modo peccare, docebimus. Quo loco tamen, ut ambiguitates quasdam euitemus, neque in verborum inanem cum aduersariis pugnam incidamus, quaedam praemonenda veniunt. Scilicet, quando extinguardarum cupiditatum finem primarium eumque non minus honestum, quam sobolis procreationem, esse perhibemus, nemo existimet, nos propterea negare, Deum ad perennitatem humani generis matrimonium instituisse. Etfi enim hoc ex sacris litteris, ut supra diximus, nullo modo demonstrari potest, res ipsa tamen et diuersa in vtroque sexu corporum ac membrorum ratio satis declarat, hominem ad generandum, foeminam ad pariendum, a natura factos esse, ex quo solo satis appetat, certo respectu primarium matrimonii finem fuisse, ne genus animalium hominumque interiret,

Nec regio foret vlla suis animalibus orba.

Nihilominus tamen nos primarium finem cupiditatem dicimus. Haec quomodo quaeſo inter se conueniunt? Inopinabile et monstro simile videri possit, duo in re eadem extrema et duos, ad quos omnia referuntur, fines esse. Hoc ænigma ut dissoluere

*Caput secun-
dum disputa-
tionis incipit
et thema pro-
bandum de-
scribitur.*

*) Carpzou. Iurisprud. Confist. lib. 2. defin. 13. et Conradi Philip. Hoffmanni Tract. de matrimonio sexagenarii.



uere possis, te scire cupio, aliū sibi Deum proposuisse primarium finem, nempe generis conseruationem; aliū vero finem primariū plerumque homines intendere, nempe, si a potiori res denominanda, solam voluptatem, quam in instituendo matrimonio Deus minus principaliter et secundario demum intendit, homo autem quam maxime. Itaque utriusque consideratione habita, si mox ad creaturam mox ad creatorem respicias, repugnans non videbitur, si duos fines primarios statuamus, atque dato a nobis ac concessso, supremam quidem Diuinitatem potissimum ob id, vt ex animali animal nasceretur, utriusque sexui mutuas appetitiones inseuisse, siue quod idem est, matrimonium instituisse, tamen hanc ipsam mutuam appetitionem hominis primariū finem, cumque legitimū ac diuino numini gratum esse, demonstrabimus, adeo quidem, vt, qui hunc vel solum appetat, nullo modo peccare videatur. Alter autem se res habet in iis, qui liberos in utero enecant, aut data opera genituram impediunt, de quo quidem crimine iam non loquimur, sed de iis solum hominibus, qui cum matrimonium inceunt, futuros ex illo liberos non quidem penitus auersantur, sed nec summo desiderio optant.

§. X.

Amorem pri-
mariam nu-
ptiarum cau-
sau esse, per
inductionem
demonstratur.

Primo quidem, vt ab experientia incipiamus, dialecticis notum probandi quoddam genus, quod *inductionem* vocant, siue obseruatio singularium euentuum, experientia et sensu instituta, ex qua axioma formatur et in animo quaedam intelligentia rerum vniuersalium dignitur. Nam si commissa memoriae res singulares ratio contemplatur et inter se comparat, exinde notio generalis proficietur. Hac igitur inductione primum vtamur ad demonstrandum: homines non aliam ob causam durum expertis et graue matrimonii onus expetere, quam vt sitim explent et ignem, vt poetae dicunt, in florida iuventute furentem honestis fontibus restinguant, ignem inquam, quem, cum natura suscitet solliciteque alat, vituperare non ausim.

◆ ◆ ◆

17

ausim. Sine amore, iamdudum periisset orbis. Contra vero,
putasne sponsalia celebrare eam ob causam quempiam, ut liberis
civibus rempublicam impleat. Ex centum millibus vix unum
sic sapere putamus. Imo plerique, pauperes potissimum, mul-
torum metuunt liberorum parentes fieri, foeminae propter par-
tus dolorem, viri propter aleudi educandique officium. *Quo-*
*tus quisque enim, ait PUFFENDORFIVS, *) liberis operam*
daret, qui saepe materiam dolendi, semper curarum et laborum
praebeant, ni naturalis inclinatio eo traheret? Intercedente cum-
primis consortio mulierum, quod sapienti vile iuxta ac taediosum,
citra istas illecebras, foret. Itaque res ipsa loquitur, in matri-
monio alia sibi Deum proposuisse, alia hominem. Velim istos,
qui omne matrimonium, quod propter sobolis spem suscepimus
non sit, graue et inexpiable scelus putant, ingenue mihi et bona
fide confiteantur, quenam causae ipsos, si mariti sunt, impule-
rint? Si propter liberos hoc fecisse mentiantur, in ora dicam,
ipsos se a veritate abdicare, turpiter fallere, hominem penitus eiura-
re, atque me existimare potius, non aliam iis, quam caeteris
animantibus, matrimonii causam suisse. Ipse nuper in confa-
bulationibus illum, cuius litterae disputationi adiectae sunt,
militem sane doctissimum, utpote philosophia et bonis litteris
probe tinctum, audiui, cum de ineundo matrimonio sollicita-
retur, ex theologo, qui procreationem sobolis unicum matri-
monii finem acerius propugnabat, querere: Anne ipse pul-
cherrimam suam sed pauperculam vxorem amore percitus
duxisset, absque omni sobolis respectu? atque hoc annuente,
sed excusationem ab esu pomi et hereditario ADAMI peccato
deducente, scite illud PLAVTI acclamare:

Nihil est iam, quod tu mihi succenseas,

Fecere tale ante alii spectati viri.

§. XI.

*) Puffend. Ius Nat. et G. lib. 6. cap. 1. §. 3.

Vniuersitatem
alterum
sexus incli-
nationem a
Deo, adeoque
bonitatem esse.

Ne autem nefanda tradere, nec sine ratione hominem solis amoris stimulis in matrimonium ruentem excusare videamur, antea, quam caetera persequimur, paucis demonstrare debemus, instinctum illum a natura inditum animantibus malum esse non posse. Absurdum prosector honestam et moderatam voluptatem criminari, quam Deus, si rerum contextus et mundi materia patet, maximam omnibus largitur suis; est enim, praeterquam credere possis, benevolus, nihilque magis quam omne genus animalium beare, quam benefacere, quam gaudia disseminare studet. Ecce enim sic argumentor: Si illa maris et foeminae mutua appetitio turpis, si ardor ille sua natura malus esset, ipse eius auctor et sustentator Deus peccatum iussisset. Nolumus, in nupera disputatione, quae *Ius mundi uniuersale* inscribitur, a P R A E S I D E de Primi Naturae uberioris tradita repetere, in qua demonstrauit, de eo, quod in omni animanti reperitur, quin iustum sit, dubitari non posse. Omnes ergo instinctus bonos videri nec, qui hanc naturae vocem audiat, vlo modo aberrare. Sane, quae liber quisque constantissime facit, ea necessario etiam cupit et vult. Nam si fieri nollet, facturus non erat. Sunt ergo Prima Naturae, ut CICERO vocat, voluntatis diuinae certissima signa. Nemo enim prudens ea facit, quae detestatur et odit. Itaque qui vim Veneris sentiunt et in contrahendo matrimonio vel hanc solam sequuntur, peccare vix vlo modo possunt, cum naturam habeant comitem et ducem fidelissimum, quae ipsam viam struit, quam nos incedere iubet, naturam inquam, quae stimulos addit et segniores impellit, quae nihil frustra facit. Factura autem suisset frustra admodum multa, si nos appetitibus, quos ipsa fabricata est, vti fruique nollet. Magni ergo naturalem ad fugienda quedam at facienda instinctum facio. *) Ille, ut ipse Pontifex Maximus

*) vide disp. Praefidiis: *Ius mundi uniuersale* Cap. 6.



Maximus in can. 7. dist. 1. agnoscit, iuris omnis quasi funda-
mentum,

Ille quas sequerer, docuit, quas fugeremque vias.

Itaque, ut ad praesentein quaestionem reuertamur, si, an matrī-
monium ad restinguendum cupidinis ardorem a foemina initum
vel viro, sanctū iustumque videri debeat? subdubites, ad spe-
cula naturae illa clarissima, bestias, ad cætera te animantia voco
et ad VIRGILII versus:

*Omne adeo genus in terris hominunque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, piæque volucres
In furias ignemque ruunt. A M O R OMNIBVS IDEM.*

§. XII.

Recordamur hoc loco ex philosophis nonnullos de hoc *An fas sit ho-*
ipso dubitasse, an homini in indagandis Dei consiliis, quae de *mini de fini-*
bus disputa-
hoc rerum viuueritate condenda regendaque iniit, liceat esse *re?*
nimis curioso? Audiamus C A R T E S I V M: *Nimis superbe, in-*
quit, de nobis sentiremus, si fines, quos in mundo exstruendo
sibi natura proposuit, ingenioi nostri vi comprebendi posse pu-
taremus. Si enim signa diuinæ voluntatis non plane certa nec
diuinis oraculis nobis reuelata sint, nescire se dicunt, an hu-
mana ratio ad fines illos cognoscendos ac detegenda recondita
naturae instituta satis instructa atque acuta videri possit, quo-
nam ei, quid ad illos fines percipiendos se aptum profiteatur,
non humanam tantum, sed viuuersam rerum naturam, quo-
que patet, peruidisse oportebat. Hinc factum esse saepius, vt
finem inepte putauerimus, quem nunquam natura sibi praescri-
psierat; sere vt futoribus tonsoribusque accidit, qui de arcans
regum consiliis, in popina et triuio ex relationibus siue, vt vo-
cantur, Nouellis plerumque fallacibus, pro suo captu, futilia
saepius et ineptissima garriunt. Nos vero, licet horum opinio-
ni subscibere veremur, hoc affirmare tamen nullo modo dubi-
tamus: certiora voluntatis diuinæ signa, dubiis anteponenda,
et in eruendis atque indagandis finibus, quos diuina sapientia



cum rerum vniuersitate ordinaret, sibi proposuit, plus valere populares sensus, quam longas argutationes, nimiumque implicatos subtilium syllogismorum meandros. Inest nimirum in nostris et animantium corporibus absconditus ad facienda quae-
dam omittendaue impulsus, inest instinctus quidam nullo modo negligendus.


Nam placuit superis, quaerere plura nefas.

Quid enim, nonne aperta illa, quae in medio posita sunt, voluntatis diuinae signa, nempe instinctus, acutis philosophorum ratio-
nibus longe longeque praeferas? In his potissimum se Deus reue-
lauit. Foemina marem, mas foeminam naturaliter appetit.
Ergo homo, in quo haec naturae vox vociferatur, foeminam
sibi honestissime iungeret, etiamsi plane sciat, et multis experi-
mentis cognitum habeat, se ob fatuitatem aut frigiditatem se-
minis, aut propter suam vxorisque obesitatem, aut ob alias sibi
notas perspectasque causas liberis gignendis imparem fore. In-
solentis propemodum et ambitiosi animi, se procuratorem et se-
questrum diuini numinis putare, seu naturae in administrando
terrarum orbe hastas velle ministrare et Deo quasi subuentire. Er-
ras ardolio! si naturam, ut optato potiatur, ut finem sibi propo-
situm attingat, tua ope et sustentaculo indigere arbitraris. Quae
enim misera superbia, si quis confitorem se negotiorum, quae
in coelo intenduntur, et in vniuerso hoc bene moderando quasi
diuinitatis collegam sociumque existimet.

Non tali auxilio nec defensoribus ipsis

Tempus eger.

Meminerimus, quofo, non imperii nos consortes, sed seruos
immortalis Dei esse, qui iussa domini expedire et reueneri de-
bent, non de horum rationibus sollicitari. Parere seruos
debet, non rationes mandati explorare. Famulo enim, qui
sibi nasum habere putat et omnes domini reconditas atque ar-
canas rationes inepta curiositate penetrare audet, nihil est odio-
sius. Idem in exercitu. Siccine miles non confliget ante,
quam



quam explorauerit, vtrum nouissima imperatoris iussa caeteris eius consiliis exacte conueniant? *Maligna laus est militis*, ait in Annalibus TACITVS, qui interpretari iussa ducum malit, quam exsequi. Tu in cohorte Dei miles gregarie, homo! mandata Dei clarissima, indubitate, certa, nempe instinctus prosequaris, de istorum rationibus autem et finibus.

*Permittas ipsis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit utile nostris.*

§. XIII.

Iam vero, melius esse homini, ait PAVLVS *) matrimonio Extinctionem jungi, quam ardere. IDEM et hoc ait: *Vt supra euitenlibidinis finetur, siam quisque vxorem et sua quaeque virum habeat.* matrimoniis esse, probatur Nulla hic de progenie mentio, neque nos orbem terrarum ex SS. et theologis iam, ut opinor, resertum liberis locupletare iubet, sed ne diras medullas flammæ exurant, ne ardeatis, inquit, ne flupris polluanini, in matrimonia coite. Eodem modo in *Can. 6. Caus. 32. qu. 2.* diuus AVGVSTINV S veros et legitimos coniuges pronuntiat, qui solius concubitus causa sibimet inuidem copulantur. Audiamus ipsum: *Solet quaeri, cum magistulus et foemina sibimet, non filiorum procreandorum, sed, pro incontinentia, solius concubitus causa copulantur ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, vtrum Nuptiae sint vocandae?* Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari concubium, si usque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit et proli generationem, quamvis non ea causa coniuncti sint, non tamen vitauerint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo male agant, ne nascantur. Velim hoc diu patris dictum diligentius considerassent nostri hac aetate theologi, qui quando ex iis: vtrum, qui corpus corpori miscere ardet, caeterum autem, ne minimo quidem posteritatis quaerendae desiderio tenetur; casti coniugis nomine dignus sit? quaeritur,

C 3

qualis

*) I. Corinth. 7. vers. 2. et 9.



quasi aspide conspecta refugiunt et toto corpore contremiscunt. Solent enim sobolis procreationem unicum sere, certe primarium, finem matrimonii esse, pleno et aperto ore conclamare. Sed salua res est. Nam si paulatim permulcendo tractandoque animos eorum mansuetacias et rerum nomina hac ratione mutes, ut, qui propter amplexus sibi conjugem optat, eum diccas non cupere satiari voluptatibus, sed hoc solum facere, ut stupra, adulteria et malas concupiscentias vitet, ut Furias Sathanae, quibus extimulatur, effugiat, illoco mitescent, imo iam laudant et matrimonio admittunt. Quasi autem hoc quicquam sit aliud, quam palam profiteri, solius concubitus causa contradictionem matrimonium iustum esse? Neque enim video, quid inter has locutiones intersit: ob euitandam intemperantiam numeri, et alteram: extinguendarum libidinum causa matrimonium inire. Etiamsi vero quis adeo intemperans non sit, ut caelibem vitam sine scortis transfigere nequeat, eius tamen coniugium honestae voluptatis causa initum vituperare non ausim, cum adiectum nostrae dissertationi THEOLOGORVM HALLENSIVM responsum, non in omnibus quidem nostrae sententiae consentiens, hoc tamen clarissime probet: Licere homini propter solum concubitum, absque ullo liberos habendi desiderio, matrimonium inire; si modo prolis generationem, ut cum AVGVSTINO loquamur, non evitet vel opere aliquo malo agat, ne liberi nascantur, quamquam et hoc ipsum crimen minus culpabile videatur, quam si quis pueros virilibus exsectis, quod in Italia frequens est, eunuchos faciat, aut vitulum castreret vel suem. Nam talis castrator non solum quominus foetus nascatur, efficit verum etiam alteri Numinis proposito obsistit, dum ingeneratam a Deo voluptatem castratis adimit, adeoque utrumque finem tollit, ex quo statim apparet, bis peccando hunc longe gravius committere eo crimine, quod AVGVSTINVVS notauit. Nam qui tantum malo opere agit, ne sibi liberi nascantur, non nisi unam legem violat, qui autem desiderium etiam coitionis castrationem

Appendix
Num. II.




tione exsecat, is duas leges subuertit, cum simul foeturam impedit et delectationem, qua natura cuncta animalia beavit, turpiter iis crudeliterque adimat. Nonne duplex obligatio fortioruna, et binas leges violare grauius videtur, quam alterutri contrauenire? Quod etiam scriptae leges probant. Nam in *Constitutione CAROLI V. Criminali art. 133.* qui pueros euirare audent aut foeminas steriles reddunt, capite plectuntur, cum Onaniticum crimen vix relegatione, sed plerumque aliquot dierum carcere puniatur. Sed quod in hominibus euiratis leges ciuiles prohibent, idem in caeteris animalibus natura vetat. Nam in ista maxima republica et ciuitate, qua secundum Stoicos*) homines et animalia eodem iure fruuntur, inter bestias et homines parum interest. Nam vt homines Deus, ita et boues fuesque se propagare iussit, nec hominibus tantum, sed et scara-beis, muscis, suibus, caeterisque animantibus voluptatis Venereae sensum dedit. Ergo quos foecunda Deus esse voluit, qui sterilia efficit animalia, nonne is primarium finem et supremum institutum eodem modo interuertit, quam qui cultro homini testiculos abscondit. Eadem utrinque numinis diuini voluntas, ergo et delicta paria, si nempe non ciuiles aut in sacris oraculis reuelatas, sed solas naturae, leges species.

§. XIV.

Iam et philosophos confulere iuuat. Non potest sane *Vattelii philosopha* nobis temeraria videri aut impia, quam profitemur, doctrina, postquam clarissimum juris naturalis sacerdotem, **ILL VSTREM DOMINVM DE VATTEL**, qui sua sapientia et eruditione aulam Dresdensem mirifice ornat, in aureis ad **WOLFII lus naturae Observacionibus **)** plane eadem sentire cognouimus. Memorabilia verba et digna quam maxime, vt tota adscribantur.

*) Seneca de Otio sapient. cap. 31.

**) Questions du Droit Naturel et Observations sur le Traité du Droit de la Nature de Mr. le Baron de Wolf, par M. de Vattel; à Berne 1762. 8.
Pagina 241. usque ad Paginam 245.



tur. Dixerat WOLFIUS: *Lex naturae vult, ut homines sobolem procreent, nec concubitum appetant, nisi sobolis procreandae gratia.* Ad haec VATTELIUS hoc modo: L' Auteur se fonde sur ce, que dans cet acte, les actions naturelles tendent à la propagation de l' espece. Et comme il a prouvé ailleurs, que l' homme doit se diriger, dans ses actions libres, par les mêmes raisons finales, qui determinent les actions naturelles: il en conclut, que dans celle-ci, on ne doit avoir pour but, que la propagation seule. Mais, c' est une petition de principe, de supposer, que le seul but de la nature, dans les désirs mutuels, qu' elle inspire aux deux sexes, et dans ce qui en est l' effet, soit la procreation des enfans. Si cela étoit, la femme n' auroit plus aucun desir de cette espece, dès qu' elle feroit grosse, et elle n' en exciteroit plus chez l' homme, comme on voit que cette règle a lieu parmi les animaux brutes. La propagation est, sans doute, le grand but que la nature se propose, dans tous les animaux; mais elle peut bien y en joindre d' autres chez l' homme en particulier. Et d' abord, pourquoi n' auroit-elle pas en vue de donner aussi par là un plaisir innocent à l' homme et à la femme, comme on voit qu' elle se le propose en tant d' autres occasions?

Si l' on fait attention que ce plaisir contribue efficacement à resserrer les noeuds, qui unissent le mari et la femme, à entretenir et à augmenter leur tendresse mutuelle; et que cette union, cette bonne intelligence est nécessaire pour l' éducation des leurs enfans; on ne doutera point, que la nature ne les incite au plaisir, dans la vue d' entretenir des sentiments si convenables.

Purquoi auroit-elle fait l' homme et la femme de maniere, que non seulement ils sont en état de se donner ces marques de tendresse, beaucoup plus souvent, que la propagation ne l' exige, mais même qu' elles deviennent nécessaires à la conservation de leur santé? C' est ici une nouvelle raison contre l' Auteur, et une nouvelle fin, qui légitime le plaisir condamné dans la décision. La plus



plus part des femmes, et tous les hommes d'une santé florissante pourroient en rendre témoignage.

Enfin Monsieur Wolf lui-même établit ailleurs, que le plaisir innocent, voluptas innocua, est licite, et que l'homme a droit de le gouter; il va même jusqu'à dire, qu'il y est obligé. Or toutes les fois, que celui dont il s'agit est pris modérément, qu'il ne nuit point à la fin principale, savoir à la propagation, et que loin des nous y rendre moins habiles et déranger notre santé, il contribue plutôt à nous conserver en bon état; enfin lorsqu'il n'entraîne aucun désordre; n'a-t-il pas tous les caractères d'un plaisir innocent, et n'est-il pas licite, par consequent?

Si la décision, que je combas, est juste, il faudra qu'un mari s'abstienne de tout commerce avec sa femme, aussi-tôt qu'elle est grosse. Mais outre que ce commerce, comme je viens de le dire, est fort propre à nourrir leur tendresse, et à maintenir leur union; une si longue abstinence seroit, pour l'ordinaire, peu convenable à leur santé et à peu près impossible à des personnes robustes et qui ont du feu dans le tempérament. Quelques uns, comme M. Smith dans son voyage de Guinée, prétendent que ce commerce avec une femme grosse, et nuisible au fruit, qu'elle porte. Si cela étoit, il faudroit sans-doute s'en abstenir. Mais alors la pluralité des femmes deviendroit nécessaire à un homme bien constitué.

Avec le même raisonnement de l'Anteur, je prouverai, qu'il n'est pas permis de se promener uniquement par plaisir. Car la nature nous ayant donné des jambes pour nous transporter par tout où nos affaires exigent notre présence, nous ne devons nous en servir, que conformément à ses vues. Chacun me répondra, que tout plaisir innocent étant permis à l'homme, il peut se promener toutes les fois, qu'il n'a rien de mieux à faire, et sur-tout lorsque la promenade convient à sa santé.

Bornons-nous donc à dire, que la propagation de l'espèce étant la principale fin des plaisirs de l'amour, nous n'en devons

D

jamais



